

Nr. 16.

PROBLEMATUM
PHILOLOGICO-EXEGETICORUM
B I G A.

28.

L.
DE
J O B O
INCARNATIONIS
CHRISTI VATE.

L.
DE

URBE
SICHEM
AB ABIMELECHO SALE
CONSPERSA.

di.

DE QUIBUS
MENTEM SUAM EXPONIT
M. GOTTLÖB FRIDER. GUDE,
V. D. M. LAUBÆ LUSATORUM.

HALÆ MAGDEB.
SUMTU HENDELIANO, 1730.

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES
1901
HOBSON'S
HISTORICAL
SKETCHES
OF
THE
RUSSIAN
EMPIRE
BY
WILLIAM HOBSON
1856
1901
1901

V I R O
MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO,
DOCTISSIMO
**IOANNI IACOBO
RAMBACHIO,**

IN CELEBERRIMA REGIA FRIDERICIANA

GRAVISSIMAM

THEOLOGIAE PROFESSORIS SPAR-
TAM MAXIMA CUM LAUDE EXORNANTI,

ET IN PRIMIS

DE RE EXEGETICA OPTIME MERENTI,

FAUTORI SUO HONORATISSIMO,

HASCE LEVIORES MEDITATIONES

QVO FIERI DECET ANIMO OBSERVANTISSIMO

DICAT

A U T O R.

Q. D. B. V.

V I R

MAXIME REVERENDE, AMPLIS-
SIME, DOCTISSIME,

FAUTOR HONORATISSIME,

EX quo in tui notitiam, & amo-
rem me admisisti, VIR MAXI-
ME REVERENDE, nihil pri-
us, nihil antiquius esse judicavi, quam
ut post gratias TIBI pro hoc singulari
humanitatis beneficio decentissime pera-
etas, de eo mediter, qua ratione hanc
felicitatem in usus meos converterem.

Lau-

Laudant TE academicæ TUAE prælectio-
nes; laudant TE scripta publici juris fa-
cta; laudat TE universus orbis literatus
præstantissimum Exegetam; (cujus sci-
entia solidissimum Theologum efficit!)
hinc operam dabo omnem, ut ex collo-
cutione per literas TECUM instituta, qua-
liscunque mea Exegeſeos S. cognitio,
ma-
jora subinde incrementa capessat, & stu-
dium, quo illam inde ab Academicæ vi-
tae meæ auspicio, quod IN REGIA VE-
STRA FREDERICTANA auspice Deo sum-
ſi, magna cum voluptate profectus fuī,
magis magisque incitetur. Cos acuit fer-
rum; animisque eruditorum idem præ-
stant officium colloquia, in quibus, ſen-
tentias suas de gravioris momenti rebus
conferunt. Ausus itaque fui cogitationes

A 3

exe-

exegeticas, quæ mihi de præsentium locorum S. biga in mentem venerunt, a communiori expositione alienas, TUAE MAXIME REVERENDAE DIGNITATI inscribere, tam ut grates, quas TIBI refero, & animi observantiam, qua TE veneror publice declarem; quam TUAM solidiorem expositionum mearum discussionem mihi expetam. Jucundum officium mihi exhibueris, si lectione, & discussione TUA qualesunque meditationes meas fueris dignatus:

PROBLE-



PROBLEMA I.
DE
**JOBO INCARNATIONIS
CHRISTI VATE**

Cap. XIX, 25.

§. I.

Intra dōctrinā, quibus de JOBO liber satis abundat, egregia illa fidei in futurum mulieris semen, & venturam gentium benedictionem, (quorum sub nominum umbris sol justitiae JOBI ævo (a) latere voluit,) confessio, non ultimum meretur locum, quam capite XIX. v. 25. 26. 27. relatam legimus. Quandoquidem multum sane laboris interpretibus suis fecit, eosque Gregoriani illius recordari jussit: *Scripturam S. mari æquiperandam esse in quo agnus nater, elephas pediter.*

§. II.

(a) Quod Patriarcharum postdiluvianorum, ætati οὐγχεοντος esse credimus cum cel. FRIDERICO SPANHEMIO in *Historia Jobi* cap. IX. & BUDDEO *Historia Ecclesiastica* V. T. p. 364. nec non CARPOZOVIO *Introductione ad Libros Canonicos* V. T. licet cum iis dubius simus ad cu-

lus Patriarchæ ætatem JOBI fata retricerimus. Atque illorum ætate Melissæ mulieris semen, & gentium benedictio audivit, collatis Gen. III, 15. XII, 3. XVIII, 18. XXI, 12. XXVI, 4. XXVIII, 14. que nomina Melissæ nec JOBUM latuisse, ex hac ipsa fidei sua confessione sat superque constat,

§. II.

Itaque cum interpres haud paucos hoc oraculum fuisse expertum; in diversas etiam sententias ab iis fuit raptum, quarum omnium ea maxime vacillat, quæ JOBUM non tam de resurrectione mortuorum, quam restitutio sua in fortunam meliorem locutum esse finxit, (b) ab aliis magno cum nisu confutata. (c)

§. III.

Ad nos quod attinet, convictos nos esse profitemur de illa hujus oraculi expositione, quæ vivam spem JOBI adstruit, & vindicat, *fore ut a Goele suo hac in terra apparituro resuscitetur*. Nostram omnino facimus B. STARCKII Praeceptoris & Fautoris nostri dum viveret fidelissimi, certissimique interpretationem, *Notis suis selectis* insertam, verbaque JOBI hunc in modum cum ipso vertimus: *verum ego scio Redemptorem meum & vindicem, vivum, & ultimo (tempore) super terram surrectum s. venturum.* Et quamvis post cutem meam defrinxerint, *boc tamen ex carne mea videbo Deum.* *Quem ego visurus sum mibi, immo oculi mei videbunt eum, & non aliis.* *Consumti sunt renes mei in sinu meo.*

§. IV.

At enim vero circa *postrema commatis XXV. verba*, quum de iis accuratius meditati fuerimus, ab eo discedere nunc cœpimus. Siquidem nova quædam sententia nobis

(b) vide post GROTIUM, KORTUMII Versionem Germanicam libri JOBI.
(c) cf. D. BUDDEI *Institutiones*

Theologiae Dogmaticæ p. 506, & D. ABICHTII Dissertat. de Goele JOBI. Lipsiae 1708, & STARCKIUS N. S. ad h. l.

INCARNATIONIS CHRISTI VATE. 9

bis in mentem venit, non quidem de literali verborum istorum expositione, sed potius de illorum applicatione. Illius ratione subscribimus B. STARCKIO, atque haec verba: וְאַתָּה עַל־עֲצָמָךְ cum ipso reddimus: Et ultimo (tempore coll. IEL VIII, 23.) super terram (coll. Gen. II, 7. cum cap. III, 19.) surrexerunt s. venturum. Utrum vero de posteriore Goelis adventu ad supremum judicium verba faciat JOBUS? de eo nos dubitare inchoavimus.

§. V.

Quotquot interpretes evolvere, aut quorumcunque sententias ab aliis recensitas perlustrare nobis licuit, in eo conspirare animadvertisimus omnes, quod JOBUM de *postrema Christi apparitione ad judicium extremum* loqui audent. Neque appetet nobis quicquam gravioris momenti, quod huic interpretationi adversetur.

§. VI.

Tamen nihil etiam obstat censemus, quo minus de *priore Christi adventu in mundum*, sive de *incarnatione ejus* haec verba exponamus. Sed potius & JOBI & sermonis sui circumstantiae huic expositioni nostrae patrocinium afferre videntur.

§. VII.

Quod si enim JOBUS posteriorem Christi adventum ad judicium extremum creditit; neque prior Christi adventus in carnem notitiam illius latuit.

§. VIII.

Id quidem primo patet ex nominis, quod Messiae impertit, significatione נָזֵר a radice נָזָר redemit, vindicavit. Denotat illud generatim eum, qui hominem sive rem quandam perditam restituit, in statum pristinum vindicat.

B

Spe-

Speciatim ex Mosaica lege Politica eum redemptorem, qui hoc officium ex consanguinitatis jure exequitur. (d) Quæ posterior specialis significatio quamvis JOBI ævo innotuisse videatur; (e) tamen cum Redemptorem suum appellat Messiam JOBUS, eo ipso indicat, si incarnationem illius expectare; quoniam per sanguinis profusionem lapsum humanum genus redemptum in ira jam docuerat DEUS homines, holocausta illis, statim a Protoplastorum lapsu demandans. (f) Qui vero licuisset JOBO credere Messiam olim profusurum esse sanguinem, nisi ejus incarnationem simul crederet atque sperasset?

§. IX.

Convenit hæc JOB AËA Messiae appellatio cum aliis nominibus, quæ venturo Messiae imposita leguntur, juxta quæ mulieris semen, & gentium benedictio audiit. Nam quia Christum sanguinis sui profusione redemtionem paratum esse scivit JOBUS; professus est se omnino credere, Messiam olim mulieris semen esse futurum; eamque natum non sui, sed hominum peccatorum causa induitum esse.

§. X.

Respondet etiam NOACHI nomen, quo pius Lamechus filium suum typice insigniebat. Fidam enim certam-

(d) Id quod tribus partibus contabat, 1] ut cognati occisi sanguinem vindicaret. Num. XXXV, 19. 2] bona proximi cognati vendita redimeret. Levit. XXV, 23. 3] cognatum suum servituti gentili addiditum redimeret. Levit. XXV, 47. 48. quas singulas partes R. MAIMONIDES aliquo Judaici doctores fusius explicant.

(e) Afirmante COCCÉ JO; de quo tamen SEB. SCHMIDIUS nec sine jure dubitat.

(f) Pelles enim, quibus vestitivis DEUS protoplastos, de sacrificiis defunctorum fuisse, non improbat videatur, cf. URSINUM Analēctis S. Vol. I. L. 6, p. 333.

INCARNATIONIS CHRISTI VATE. II

tamque animi sui requiem in futuram Messiae redēmptionem
reponēbat, quam præsentis vitæ calamitatiē ipsi negabant.

§. XI.

Secundo JOBI notitiā futuræ Christi incarnationis
probat spes ejus fore, *ut aliquando oculis suis corporeis Go-
elem intueatur*, vers. 27. Atqui Goelem, qua divinam na-
turam suam per spiritualem ejus essentiam oculis corporeis
suis usurpare non potuisset; (g) inde conficitur, exspectas-
se JOBUM, humanam naturam assumpturum; & quod He-
nocho jam innotuerat, humana natura indutum sub mundi
finem esse redditurum.

§. XII.

Terrio huc accedit, quod JOBUS neutiquam cum
gaudio de posteriore Christi apparitione ad judicium co-
gitare potuerit, eamque sibi maximo emolumento & gau-
dio futuram expectare, nisi prioris adventus in carnem certior
factus fuisset, quippe per quem promeruit, ne ultimus
Christi adventus, mortuorumque resurrectio piis sit perni-
ciosa, sed maxime fructuosa.

§. XIII.

Denique si consideremus JOBI prosapiam, eumque
vel ex *Semi*, vel *Japheti* posteris oriundum esse credamus:
haud difficile conjectu est, unde hanc notitiā adeptus fue-
rit JOBUS; Nam in eorum familiis, præsertim *Semi* gen-

B 2

te

(g) *Disquiri omnino solet, an oculis corporeis essentiam DEi vi-
fari simus? quod licet nonnulli i-
isque minime contemnendi viri ex
nostraribus adferant, rectius tamen
eos sentire existimo, qui hocce ne-* gan. Nullo namque idoneo scri-
ptura testimonio probari hoc pot-
est. Observante venerando D. BUD-
DEO *Institutionibus Theologie
Dogmaticæ* p. 475.

12 PROBLEMA I. DE JOBO

te articulus de Messiae adventu purus & illibatus mansit, atque a majoribus ad posteros felici cum successu transmissus fuit.

§. XIV.

En itaque quatuor argumenta, quæ JOB I causam agunt, & ipsi futuræ Christi incarnationis notitiam vindicant, ut nostra verborum suorum interpretatio a cognitione illius haud aliena sit! At vero etiam videamus, num verborum tenor nostram expositionem admittat?

§. XV.

Neque in iis, quod nobis adversetur, deprehendimus; quin potius expositionem nostram suadent, & sensum ex mente nostra fundunt.

§. XVI.

Dicit nimirum JOBUS: *ultimo tempore venturum est super terram, Goelem.* At vero probatione nulla eget, universum N. T. spatium, non modo finem, sed etiam initium illius, *tempus ultimum* nominari. conferantur sequentia loca. Joelis III, 1. collato cum Act. II, 17. Michae IV, 1. Jes. II, 2. quos dubio procul sequuntur Apostoli, qui 2 Tim. III, 1. 2 Petri III, 3. 1 Joh. II, 18. Jac. V, 3. Ebr. I, 1. Novi Testamenti tempus *ἰσχάρας ηὐθεῖας* appellant. Forte quia Novi Testamenti ætate, terra, eaque ultima, gratiæ suæ cœconomia locum obtinere debebat, quam prima *sine lege scripta*, & altera sub *legis Leviticæ umbris* præcesserat. Igitur eodem jure præsenti textu per *ultimum tempus* Novi Testamenti auspicium, quo Christus humanam assumit natum, denotatum esse putamus; ac quidem reliqui finem seculi per illud significatum esse autumant.

§. XVII.

INCARNATIONIS CHRISTI VATE. 13

§. XVII.

Præterea expositioni nostræ favet, quod **JOBUS** ex-
preſſe dicat; *Christum venturum super terram.* Quæ phra-
ſis magis ad priorem quam posteriorem Christi adventum
quadrat. Qui non tam in terra, ſed in celi nubib⁹ futurus
effe ab ipſo Salvatore prædicetur Matth. XXV, 31. ſequ.

§. XVIII.

Quod autem **Jobus** Christam hac in terra olim ~~stan-~~
rem vaticinetur; illa phraſi vel indicare voluit, quod Chri-
ſtus hanc terram ſalutans vietorem ſe exhibiturus fit, vi-
etoriam ab hoſtibus calcaneum ejus pungentibus repor-
tant: vel adhibuit verbum ~~in~~ nonniſi ratione vulgari,
pro: oriri, Aufſtehen, Entſtehen. Quo ſenſu variis S. S.
locis hoc verbum venit. confer, ſi placet Prov. XXIV, 22.
Dan. VII, 24.

§. XIX.

His itaque & **JOBI**, & sermonis ſui circumſtantiiſ
nobis non adverſantibus, ſed ſuaviter & amice faventibus;
eam induxi muſtē hæc verba **JOBI de priore potius**
quam de posteriore Christi adventu interpretandi.

§. XX.

Tantum abeft, ut Scripturæ fidei que analogia nobis
fit contraria; ut potius **JOBI** fidem majorem in modum
expofitio noſtra amplificet. Quippe qui juxta eam, utram-
que Goelis ſui naturam hoc ipſo commate prædicat: *divi-
nam quidem prioribus verbiſ: Scio redemptorem meum vi-
vum;* jam hoc ipſo tempore, quo vitam ejus, & exiſten-
tiā laudo. Atqui Christus **JOBI** ævo nondum vixit ra-
tio-

B 3

14 PROBL. I. DE JOBO INCARN. CHRIST. VATE.

tione humanæ naturæ, ergo necesse est, ut statuatur credi-
disse JOBUM divinam Goelis naturam. *Humanam* ve-
ro naturam Ejus profitetur verbis posterioribus, quæ nunc
sub incudem revocavimus: *Præterea scio Goelem meum ul-
timo tempore in mundum esse venturum.*

§. XXI.

De reliquo si dicendum quod res est, neque commu-
nior verborum horum expositio sententiæ nostræ adeo
contrariatur, ut juxta eam locum invenire nequeat. Sed
supponit altera alteram, & per subordinationem neutra al-
terutram excludit. De eo saltem dubium remanet: *utrum*
adventum Christi; prioremne an posteriorem Jobus prima-
rio intenderit? Salva interim maneat interpretum omnium
autoritas, qui postremum Christi adventum hisce verbis
indigitatum esse hactenus judicarunt, & in posterum cen-
sebunt.

§. XXII.

Nos tantum placido *Philologorum* examini hasce me-
ditationes nostras subjecimus. Inquirant, num juxta illo-
rum expositionem interpretatio nostra simul stare, an il-
li præferri, an vero prorsus eliminari debeat. Censuram
non deprecamur, sed potius eam humanissime efflagitamus
probe memores Paulini illius:

Ἐπ μέρες πεφυτέομεν.

PRO-

PROBLEMA II.
DE
URBE SICHEM
A B
ABIMELECHO SALE CONSPERSA.

Judicium IX, 45.

HAUD raro benignior fortuna inclarescendi ansam concessit, quam honeste nascendi beneficium negavit spuris. (a) Igitur cum hanc sibi etiam faventem haberet ABIMELEH, quem *Gideon*, strenuus Israelitarum Judex, & felicissimus libertatis ipsorum vindicta & stator, ex pellice Schemi habitante susceperebat, rerum potiebatur inter cives suos, ut inusitato prorsus more principem eum crearent. (b) *Judicium IX, 6.*

§. II.

Is vero se admodum falleret, qui externa semper feliciore hominis condizione mores ejus metiri vellet. Cæcam omni jure dixerunt fortunam ethnicorum magistri. Quippe sapientissima summi Numinis providentia sceleratis æque ac virtutem colentibus res suas ex voto feliciter suc-

cede-

(a) Vide, quos ex horum classè laudat summe reverendus D. WEISE Dissert. de Spuris in Ecclesia & Re Litteraria claris. Lipsia habita 1693.

(b) Rex enim & princeps tunc

temporis Israëlitas inter res erat inaudita, nec Israëlitarum omnes cum Schemitis confenserunt, quare nec legitimis Israëlitarum Regibus annuerari meretur.

16 PROBLEMA II. DE URBE SICHEM

cedere tantum non semper jubet; exemplo *Abimelechi*, qui
infrænata dominandi cupidine flagrans fratribus suis septu-
aginta, horrendum dictu! trucidatis, & flagitiosorum ho-
minum cæterva sibi conducta, nec non aliis quibusvis ma-
lis artibus adhibitis regimen ad se rapuit; (c) quam Abi-
melechi pessimam indolem sub spinæ imagine in apolo-
go suo Jothamus optime delineavit.

§. III.

Cum vero fors malorum secunda per nefandum ejus,
quem committunt, abusum infirmo admodum stet talo;
nec facinorosos inter pax floreat constanter duratura, sed
sæpe alter alteri impietatis suæ penas solvat: hinc in-
de factum est, ut Abimelechus Sichemitarum urbem, quo-
rum auxiliis & suffragiis ad regimen adspiraverat, non sine
jutissimi Numinis permisso (d) miserum in modum de-
strueret, destruetamque solo æquaret.

§. IV.

Hunc eventum autor libri *Judicum* facer prolixe re-
censet c. IX. (e) qua in recensione nonnisi illa Phrasis discus-
sione nobis in præsenti digna videtur, qua urbis Sichem
excidium vers. 45. exprimitur: *וַיַּרְעֹשׂ סָלָח* *Et conseruit il-*
lam sale.

§. V.

Evidem de locutionis hujus difficultate non facile
cogitaverit, qui considerat, interpres, quotquot hunc in
librum prostant, quasi conjuratos in unam eandemque ex-
posi-

(c) Quas recenset R. ISAACUS
ABARBIEL dissertat, *de Princi-
patu Abimelechi* a summe reveren-
do D. BUDDEO notis illustrata.

(d) Collato c. IX. v. 23, 24.
(e) Quod egregie illustrat summe
reverendus BUDDEUS *Historia Ec-
clesi* V. T. p. 883.

positionem conspirare, & hanc phrasin a ritu quodam militari petitam esse confidenter satis judicare, *quod urbium expugnatores destructa ipsorum rudera sale consperserint, indicio, quod nullo unquam aeo illae rufus aedificari, sed aeterna devestationi devote manere debeant.*

§. VI.

Scilicet quod sal locis sterilitatem inducit, quibus adsperrigitur; ideo sparitionem ejus in expugnatas urbes factam crediderunt, ut per eam perpetuæ desolationi symbolicæ traderentur. (f)

§. VII.

Plures probationes, in primis autem parallela ex rei militaris scriptoribus, aut historicis profanis, (quos tamen non singulos hic ritus, si qui unquam exstitit, fugere potuit) frustra queasiveris apud interpretes. (g) Sed quasi ritus iste res confecta, & in solis discum positus esset, phrasin nostram *μωναχῶς* in S.S. *λεγούμενην* ritui isti accommodant.

§. VIII.

At enim vero cum ipsis adeo expositionis illius fautores diffiseri non possint, ritus talis vestigia nec in ullo sa-

C CRO

(f) Ita enim DRUSIUS ad h. l. Conseruit eam sale, ut sterilitatem loco conciliaret. *Virgilis Georg. 2.*

Salta autem tellus, & qua perhibetur amara

*Frugibus infelix, ea nec mansueti
seit arando,*

*Nec Baccho genus aut pomis sua
nomina servat,*

*Pomaque degenerant succos obli-
ta priories.*

item NICOLAUS ad h. l. *Sal redi-
dit terram sterilem, & ideo quan-
do aliquis destruebat funditus a-
liquam civitatem, spargebat ibi*

*sal in signum perfectæ victoriae.
nec non GROTIUS Causa hujus a-
pud Plinium l. 31. c. 7. omnis locus,
in quo reperitur sal, sterilis est,
nihilque gignit.*

(g) Etiam adeo apud ipsum, quem mireris STEPHANUM MORI-
NUM, qui pecularem dissertat, *de Sale ad pergi solito super urbium
dirutarum ruinas;* (que inter Dis-
sertationes Ejusdem octo Genevæ
1683, i. 8. editas p. 54. extat) conser-
vit, in ea autem plura lectu dignissi-
ma de vario salis usu, quam de hoc
ritu militari concessit.

18 PROBLEMA II. DE URBE SICHEM

cro vel profano Scriptore reperiri posse; (b) ecquis eos edocuit, quod in nostro loco ritus ille militaris lateat? possetne haec locutio aliam quoque interpretationem admittere? quae non tam dubio fundamento inniteretur. Quid quæsto regerent ritus illius existentiam in dubium prorsus vocanti, & hac ratione interpretationem illorum labefacienti?

§. IX.

Ratio illa physica, ad quam provocare illis libuit, ex sa-
lis indole petita, nondum certe sufficit ad probandum alicuius
ritus alias incogniti existentiam. Quasi vero locus aliquis
eo ipso non redderetur sterilis, qui mœnum, ædiumque rui-
nis est obsitus? probandum est, quod ab ulla unquam gente
fæl super dirutas urbes fuerit sparsus, signo obtentæ expu-
gnationis. Qua vero in probatione hærent.

§. X.

Ad nos itaque quod attrinet, denegamus ulteriore af-
fensem nostrum dubii ritus istius assertoribus, & de eo du-
bitamus nulli quin locutioni huic alia quaedam interpretabi-
li imponi queat, quam que vulgo credita, & a majoribus ad
nepotes propagata fuit. Cum per silentium rei militaris
Scriptorum, & Historicorum, cui hunc ritum unanimiter in-
volvunt, defensoribus illius pedem suum nullibi tuto figure-
re, nec diutius eam propugnare liceat, donec quis de ritus
eiusmodi existentia dubitare incipit, eosque fictionis accusat.

§. XI.

Constantem interpretum tam Judaicorum quam Chri-
stianorum.

(b) Fatente ipso MORINOL. c. p.
76. *Preterea mihi non est compre-
hendere, morem illum inter gentes a
prima antiquitate fuisse usurpa-
rum: etenim nib. Lauriquis præter
Scripturam de illo more suppedi-*

*tat memoria. non refragante anti-
quitatis peritissimo ZORNIO Biblio-
rbea Antiquaria. Exegitca T. I.
p. 501. ubi hanc MORINI diserta-
tionem excerpta silit.*

AB ABIMELECHO SALE CONSPERSA. 19

stianorum consensum haud veremur, ut de alia verborum expositione meditemur. Majori fide eos omnino dignos censeremus, si libri Judicum Autori, vel Abimelecho fuissent coævi, vel laudati ritus testes ἀνόπτεροι, & αὐστηροι. Sed cum Abimelecho longe sint recentiores, nec ullo fide digno testimonio narrationem suam confirment; nemo nobis in malam interpretabitur partem, quod de expositione illorum dubitare incipiamus.

§. XII.

Sed unde aliam verborum interpretationem eamque solidiorem haurire licet, in deturbatae sententiae locum substituendam? Salva res est! Non indigitatur salis species, quo Abimelech fuerit usus; ergo concessum nobis est in illam salis speciem inquirere, quam forte in praesenti adhibuerit Abimelech. Constat autem in Iudea speciem salis fuisse frequentiorem, quam salem Sodomiticum seu Asphaltiticum appellantur; (i) nec tam cibis conidiens, quam igni alendo inservientem; quare in victimis adolendis perpetuus ejus fuit usus. Levit. II, 13. ut victimæ quarum ut plurimum ingens erat copia, hoc salis genere conspersæ eo celerius igne consumerentur, pariter ac fœtus odor, quem accensa victimarum caro fundere poterat, prohiberetur. Quandoquidem salen- illum gratum odorem spirasse Scriptores commemorant.

§. XIII.

Quid igitur obstat, quo minus per salem illum, quo ex-
C 2 pugna-

(i) Quem prolixius describit HADRIANUS RELANDUS *Palæstina sua* p. 178, 179, & 326, nec non HERMANNUS von der HARDT *Ephemeridibus Philologicis de Contingentia Sacrificiorum* p. 139. Lenta est, pinguis & subnigra materia, | instar resinae & picis. Quæ accensa ad modum succini ardet & suavem spargit odorem. Inuenta magna ejus copia in terra Canaan, sive ex fontibus bituminosis propullans, sive ex undis maris bituminosi, aut maris Asphaltitis collecta.

20 PROBLEMA II. DE URBE SICHEM

pugnatam urbem conspersisse Abimelech refertur, *Salem illum*, seu *bitumen Sodomiticum intellectum esse putemus.* (1) ex cuius natura sparitionis illius finis facile apparebit; scilicet eam non observandi cuiusdam bellici ritus gratia factam esse, sed ut ope hujus bituminis & admoto igne urbem eo facilius conflagrando destrueret.

§. XIV.

1. Hanc enim *salis*, sive *bituminis Sodomitici* indolem effe, ut ignem alat, ex §. 12. constat; Abimelechum urbem, ne 2. catis incolis destructum ivisse ex Textu patet: hujus bituminis asperzione finem suum optime consequi potuisse, natura ejus, & usus circa comburendas victimas edocet; ergo nihil obstat, quo minus nobis persuadeamus, illam salis sparitionem non symbolicum quendam & ritualem fuisse actum, sed per illam ipsam, ultimum interitum urbi fuisse illatum, eamque ignis flammis, quas sal iste aluit penitus consumtam.

§. XV.

3. Accedit quod hoc bellandi genus, Veteribus haud incognitum fuerit, & tam oppugnantes, (m) quam oppugnati, (n) in igne sepius salutem & auxilium quæsiverint. Ignitarum

(1) Faciunt nobiscum cel. Bibliorum Hebraicorum, que Hale prodierunt editores, qui praesentis dicti illustratione ad marginem lectors ad Deut. XXIX, 22, remittunt, ubi de sale Sodomitico fermo est.

(m) Ignem in urbes mittendo, quem parare docet AENEAS in Poliorcetico suo C. 35. αὐτὸν δὲ τῷ πῦρ σκευοῖς ιχνεύσαις ὕδε, ὅπερ εἰ πάνη καταπέσεινθαί. Πιοταν, Θεόν, ευωπεῖον, μάνιαν, λιθαίωτον, διδόθη πείσαται, ἐνδιήλως ἐξά-

πλοῦτα περιφέγειν. Ignem autem validum & qui nulla arte refinatur, ita paratis: picem, sulphur, stibiam, mannam, thibus, tæde rameuta accende.

(n) Ut obsidientium machinas exurerent, teste eodem AENEAS c. 33. χεὶν δὲ ταῖς περιτεχθαῖσις αἰσχελάνας ἐπιχεῖν ποταν. Testudinibus admotis infundenda pix. & VEGTIO de re militari L. IV. c. 8. Bitumen, sulphur, picem liquidam, oleum.

AB ABIMELECHO SALE CONSPERSA. 21

zorum Sagittarum Paulus adeo mentionem injicit, Cacodæmonis astutias, quibus æternam perniciem hominibus minatur, Eph. VI, 16. descripturus. (o)

§. XVI.

Denique cum antecedentibus verbi significatione amice conspirat **אַתָּה קָרְבָּן** & destruxit urbem; phrasis juxta mentem nostram exposita. Quandoque medium, & modum sicut, quo in destruenda urbe fuit usus Abimelech: *Conserendo, s. consperrando illam sale c. bitumine priori enim verbo urbis accensionem simul denotari, verisimile omnino est; quam adsperso bitumine postea promovit.*

§. XVII.

Modum vero, quo urbem bitumine isto consperserit, designare nobis non licet. Cum instrumenta bellica, quibus Abimelechi attacuerunt usi, nos quidem ignoremus.

§. XVIII.

Quid e contrario expositioni nostræ objici posset nondum perspicimus. Optamus autem ut quis Antiquitatis promus-Condus-testimonium tandem inveniat, quo jactitatus hoc loco ritus militaris stabili-
liri queat, & illo ipso meliora nos edoceat. Donec autem istud inter-
pretes desiderabunt; veniam dent nobis, ab iis dissentiendo, nostramque
expositionem tuerintur, quæ ex natura salis s. bituminis Sodomiticæ de-
promta; fundamento haud incerto nititur. Quam tamen simul omnium
Philologorum ulteriori discussioni de meliore commendamus.

oleum quod incendiarium vocant,
ad excusandas hostium machinas
convenit preparare.

(o) Quæ alias Falarica etiam sunt
dictæ; quarum materiam, fabricam &
usum omnium optime delineavit SILI-
US ITALICUS C.I. 35, seqq.

Librari multa confusa falarica
dextra

Horrendum vix robur, celsisque
nivose

Pyreneæ trabs lectæ jugis, cui plu-
xima cuspis,

Vix muris toleranda lues, sed
carera pingui

Uncata pice, atque arro circumlira
sulfure sumant.

nec non SERVIUS ad Aen. I, IX. v.
705. est ingens telum, torno factum,
habens ferrum cubitale, supra quod
veluti quædam sphæra, cuius pon-
dus etiam plumbū augeret; dici-
tur enim ignem habere adfixum,
stuppa circumdatum, & pice obli-
rum: incendiumque aut vulnus hor-
sem aut igne consumit.

C 3

TIBI

TIBI vero in primis, VIR MAXIME REVERENDE, quem hisce literis publice alloqui visum fuit. Qua enim alia ratione ex optata incrementa indies capere rei exegeticæ licebit, nisi de sententiis suis frequenter conferant Philologi. Palinodiam, eruditorum nemine indignam, recuso, si meliora edoctus fuero; nec aliorum Interpretum, me longe superiorum, laudi aliquid detraetum volo, si vel quorundam Philologorum consensum nactus fuero. Quin potius decentissimas grates iis me debere publice profitebor, qui me in re potissimum Exegetica nullius in verba jurare, nec Scripturæ S. sensum inferre, sed ex illa efferre & exemplo & doctrina sua me jusserunt. Quos inter Doctores meos, TIBI primum constituo locum. Igitur & in tuum, VIR MAXIME REVERENDE, finum, has meas cogitationes de Proble-

blematum Philologicorum biga effundere volui, me, unacum iis favori tuo & insigni humanitati, officiose dedicans. Cognoscas inde mentem, qua te prosequor, tui studiosissimam, gratissimamque. Conserves & in posterum tuum erga me favorem; quem animus meus nulla unquam obliterabit. Quod reliquum est, Deum ardentissime flagito, velit te per innumeros adhuc annos, salvum & incolumem sistere, ut ecclesia pariter & Academia, nec non universa res Litteraria, in primis Exegetica te doctorem suum, vindicem & statorem longe diutius amplecti queat. O Valeas, tuoque favore futurum quoque me amplectaris!

ETIPE-

E P I M E T P O N.

Monitus sui, quod **וְאַתָּה** minus accurate reddiderim; Et ultimo tempore; cum illa vox rectius in casu nominanti sit accipienda: Et postremus, s. novissimus praente Summe reverendo D. MICHAELE in Annotat. ad hunc locum. Verum enim vero licet mihi respondere 1) quod hac mea, & quam secundus sum B. STARCKII interpretatione, adiectiva vocis ratio servetur, quam solidissime D. MICHAELIS vindicat: quam neque adeo CHALDÆUS, eumque secuti respuunt, loco adiectivi adverbium temporis *posthac*, paraprastice adhibentes. 2) Ergo quæstio eo redit, utrum primo an sexto casu hæc vox sit accipienda. Ego posteriorem cum laudato STARCKIO elegi. Nam (a) si vox **וְאַתָּה** ad determinandum subiectum, sc. Golem faceret, **וְ** præfixo opus haberet; contra SCHMIDUM ipso monente Cel. MICHAEL. Vol. II. p. 262. (b) insitata profus & Scripturæ S. ignorata significatio gignitur phrasi: *super terra stabit*; si primo casu vox ista exprimatur, Christum in arena tanquam victorem sistentem; quem vero pugnandi modum Jobi ætas forsitan ignoravit; hinc eam Cel. STARCKIUS l.c. discussit. Hinc omnium simplicissima mihi visa est interpretatio, quam elegi: *Et ultimo (tempore) stabit super terra!* (c) Visne vocem **וְאַתָּה** ad Jobi aliorumque mortuorum pulverem, in quem sedigendi sunt, trahi, tunc obstat, quod in disquisitione monimus; ultimum CHRISTI adventum non in terra, sed cœlo futuram
Ac!



Jg 6189

ULB Halle
002 675 65X

3



W 78




AN

2

D

B.I.G.



PROBLEMATUM
PHILOLOGICO-EXEGETICORUM
B I G A.

L.
DE
J O B O
INCARNATIONIS
CHRISTI VATE.

II.
DE
U R B E
S I C H E M
AB ABIMELECHO SALE
CONSPERSA.

DE QUIBUS
MENTEM SUAM EXPONIT
M. GOTTLLOB FRIDER. GUDE,
V. D. M. LAUBÆ LUSATORUM.

HALÆ MAGDEB.
SUMTU HENDELIANO, 1730.

